



INDEX.

.A.

De Antimonijs.	nō. .1.
Anticatagorijis.	41.
Accrescendi jure.	12.
Arbitro Compromissario.	24.
Adiotum conceptione p̄ re.	26.
Adiōe fam. eriscūm.	27.
Appellatione.	30.

.B.

De Bona fide.	.10.
---------------	------

.C.

De Coniugali impotentia.	4.
Casū fornicato o lib. mūtūat.	16.
creditoris possessio ² pignor.	19.
collegijs opificiū.	22.
conceptione aotum p̄ rem	26.
Compromissario Arbitro.	24.
crimine lese Majestatis.	34.
canonica purgatione.	42.

43

.D.

De Dominio.	nō. 7.
Defensore judiciali.	26.
Delictis inominatis.	40.
Dolo malo.	35.

.E.

De Emancipatione.	3.
Emphyteusi.	18.
Eriscūda famit. ad.	27.
Executio Pecunia.	34.

.F.

De Falsis.	38. 39.
Fide bona.	10.
Felonia.	46.
Familia Erisc. ad.	27.
Feudi oppignoratione.	20.
Fornicato casū o liber. mūt. 16.	

DISPUTATIO JURIDICA,

De

FALSO,

Quam

Assistente DEO,

Permissu & Autoritate Magnifici
Jctorum Ordinis,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA LIPSIENSI,

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi

DN. BARTHOLOMÆI

LEONHARDI SCHVENDENDORFFERI,

J. U. D. & Prof. Publ.

Fautoris & Promotoris sui ætatem
colendi,

*Publicæ Eruditorum disquisitioni
exponit*

M. JO. CHRISTOPHORUS *Freisch* /

Ebleb. Thur.

Ad diem XVIII. Julii,

M DC LXI.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS VVITTIGAU.

14 40.

34



DISPUTATIO JURIDICA

FALSO

Assistentie Deo

Ferniti & Antiquae Magister
Königlichen Ordinari

IN ILLUSTRIS ACADEMIAE IURIS

SUB PRESIDIO

Nobilissimi, Amplissimi, Consensuum & Reverentissimi

DN. BARTHOLOMAEI

LEONHARDI SCHVINDENBORTERI

J. U. D. & Prof. Publ.

Favore & Promotionis sui

colendi

Publicae Auditorii & Speculationis

exposit

M. JO. CHRISTOPHORUS SCHVINDENBORTER

Ejusd. Titul.

Ad hunc Titul. Jussu

M DC LXXI

M. L. G. C.

L I P S I A

Typis JOHANNIS VITTINGER



ILLUSTRISSIMO AC GENERO-
SISSIMO

DOMINO,

DN. LUDOVICO
GUNTHERO,

Equatuor Sacr. Rom. Imper. Co-
mitibus, Comiti in Schwartzburg & Hohnstein,
Domino in Arnstadt, Sondershausen, Leutenberg,
Lohra & Clettenberg &c.

DOMINO SUO, GRATIOSISSIMO

Hanc Exercitationem

*Summâ animi subiectione & votorum, qua pro constantē
Domini sui felicitate Pii Alumni esse possunt,
nuncupatione*

Dat, Dedicat, Consecrat

M Jo. Christophorus Griesch



ILLUSTRISSIMO NO. GENERO
DOMINO
DN. LUDOVICO
GUNTHERO.

Ex parte or. sac. Rom. Imper. Co.
militis, Comes in Schwyzburg & Hohnstein,
Domus in Anst. Sondershausen, Lauenberg,
Lena & Camburg, &c.

DOMINO suo CRATISSIMO

Mag. Exercitationum

Mag. in anni fortissimi & virtutis, quae in
Domus in Anst. Sondershausen, Lauenberg,
Lena & Camburg, &c.

Mag. in Confess.

M. J. Christophorus Gunt.





I.



Vana & maligna mentibus Judæorum insidet persuasio, omnia totius orbis bona primitus à Deo ipsis fuisse attributa & concessa, à Christianis autem & gentilibus ceteris de facto tantum detineri, adeoque ita esse comparata, ut cuilibet eorum fas sit, ea tanquam communia occupare, sibiqve vindicare, modò possit: hinc sibi licere, alienigenas, qui non sunt seminis Abrahamæ, negociando, salvâ conscientia quocunqve modo circumvenire & defraudare, adeò ut neque fides sit habenda ipsorum juramentis, quæ nec sibi invicem, multò minus aliis servant, quoniam in publicis etiam conventibus à primariis Judæorum facile absolutionem impetrare, & sic promissa ac juramenta revocare & annullare possunt, sicuti post alios latè diducit & demonstrat Jo. Muller, in *Judaism. part. 2. cap. 6. & 8.* & Christian Gerson in *Jud. Thalmud part. 1. c. 23. 24. 25.* & alii passim.

II. Verùm falsò judicant isti Judæorum judices: non ita vicissim Christiani, si tales; imò nec sapientiores Ethnici, quos inter etiam fuit L. Cornelius Sylla Cos. post Dictator, qui, cum ob bellum C. Marii judicia essent omissa, & leges inter arma tacuissent, recuperatâ Rep. judicia & leges antiquas revocare coepit & quæstiones publicas & perpetuas constituit, l. 2. §. 32. ff. de Orig. Jur. Novas eum tulisse quatuor Petz in *Cod. Ad L. Cornel. de Fals. n. 1.* recenset nim. de parricidio, de sicariis, de injuriis & de Falso. Sed Valent. Forster. *hist. jur. civ. Rom. lib. 1. c. 26. p. 143. & seqq.* longè plures A. U. C. 673. ab ipso latas enumerat, quæ videri potest.

III. Vocatur autem ista lex de falso, de quo nobis agendum, ab Autore Cornelia, rubric. ff. & C. ad L. Corn. de fals. testamentaria l. 30. ff. h. t. quòd præcipuè de testamentis falsò conscriptis, suppressis &c. lata sit, l. 2. ff. eod. Ei, cum ad omnes casus non sufficeret, adjectum est SC. Libonianum de eo, qui sibi in alieno testamento quid adscripsit, quod Claudio Tiberio Autore factum est, Cos. Statilio Tauro & Scribonio Libone, à quo ad Patres edictum referente Libonianum vocatur, mittebantur

A

enim

enim edicta Principum ad Senatum, ut eo ordine approbarentur: Claudianum etiam vocatur à Claudio, quòd ex ejus edicto manarit *l. 15. ff. h. t. Z. e. s. ad ff. h. t. n. 16.* Ex alio capite L. Cornel. vocatur nummaria, quæ ad monetam pertinet, *Cic. Verr. 3. Ant. Matth. in lib. 48. ff. tit. 7. c. 4. n. 1.*

IV. Falsum verò hîc non accipitur *largissimè*, pro omni eo, quod non est verum & sine fraude quoque esse potest: *nec Metaphysicè*, prout vulgò opponi dicitur vero, entis attributo simplici, quamvis ei rectius nulla falsitas opponatur per se; sed per accidens, interveniente sc. compositione, *Sthal. Comp. Metaph. cap. 37. & Tab. Metaph. 22. Nec Logicè*, quatenus opponitur vero complexo, quòd est in enunciatione: *nec Ethicè*, pro mendacio seu ejusmodi veri immutatione, quæ & fraudem continet: *nec Theologicè*, sicut falsum in 8. præcepto non tantùm denotat falsum testimonium loqui, verùm etiam audire, præsertim in judicio, prout ex radice Hebr. tradunt Theologi, & Buxtorf. annotat, imò ibid. accipitur quoque pro quâvis voce & interpretatione iniquâ proximum lædente, *Zach. Schilt. in Catech. Luth. p. 135. Sed Juridicè*, de quo *Dd. in ff. & C. h. t.*

V. Et sic Falsum definitur, quòd sit crimen publicum, quo imitatione veri dolosè veritas in damnum alterius immutatur, jure notatum, *§. 7. Inst. de Publ. Jud. l. 1. pr. l. 2. l. 22. pr. l. 23. ff. h. t. l. 20. C. eod. Nov. 73. pr.*

VI. Dico crimen publicum: nonnulli quidem breviter & simpliciter definiunt, quòd sit veritatis immutatio dolosa; sed illi genus tanquam satis notum omittunt: alii generis loco ponunt actum fraudulentum, vel factum dolosum; sed illa in voce Criminis tanquam remotiora continentur. Unde remanet, quòd proximum genus sit crimen publicum, *v. Mejer. Coll. Arg. ad h. t. §. 1.*

VII. Tria communiter requiruntur, ut hoc crimen committatur: dolus sc. veritatis immutatio, & ut alter decipiatur, ei que inde damnum contingat, quæ differentiarum locum obtinent. Primò dolus requiritur: quamvis enim errore quis verum non dicat, in poenam tamen falsi non incidit, nisi dolus accedat, *l. 20. C. h. t. l. 31. ff. eod. 2.* ipsa veritatis immutatio; non enim falsum statim committitur præsentem dolo, nisi etiam ipsa veritas pervertatur, *ut Paulus in l. 23. ff. h. t. per exempla id demonstrat. 3.* ut damnum & præjudicium alteri inde eveniat; non quod

quod falsum commissum semper nocuerit, sufficit enim, si illud ita intentum & ad nocendum aptum fuerit, licet nondum nocuerit *l. 6. pr. ff. l. s. C. h. t.*

IIIX. Additum suprâ: jure notatum, i. e. vel ipsâ *L. Corneliâ*, vel aliis legibus, quæ huic in supplementum latae sunt, ut *SC. Liboniano*, aliisque constitutionibus ac responsis *JCtorum* eam legem interpretantibus. *VVesemb. ad ff. L. C. de fals.* non quidem talem notationem, quâ omnes omninò casus *L. Corneliâ* expressis verbis notari debeant vel possint, requiri concedo, quod *Dn. Carpzov. pract. crim. p. 2. q. 93. n. 14. 15. monet*: verùm cum non quælibet fraudulenta veri perversio & immutatio incidat statim in atrox hoc crimen publicum, & aliàs latior sit definitio suo definito, puto cum *Bachov. ad Treutl. V. 2. D. 32. §. 8. lit. A. & aliis*, determinationem & notationem legis utique requiri. Nim. si dantur alii casus falsi expressè non notati, & tamen ob gravitatem graviùs puniri & coërceri debent, justa & legitima interpretatio adhibenda est, quâ ob atrocitatem & rationis identitatem ejusmodi falsitatis casum in ipsam legem falsum prohibentem impingere, adeòque falsi poenâ coërceri debere, elici, eaquæ ratione satis notari & determinari potest & debet. *Sicuti etiam Ant. Matth. L. 48. ff. tit. 7. c. 1. §. 1. inquit*: In definitione graviolem improbioremque fraudem intelligas necesse est: est enim quædam veritatis imitatio ita levis, ut infra Legum animadversionem sit. *Add. Hahn. in VVes. h. t. n. 2.*

IX. Dividitur hoc Crimen à Marciano in *l. 1. §. ult. ff. h. t.* in falsum in specie tale; & quasi-falsum. Illud est, quando casus falsi ipsâ *L. Cornel.* comprehensus est: hoc, quando falsum ad rationem legis ex *SC. & Pp. Constit.* vel interpretatione prudentum, accommodatur, *l. 1. §. 4. l. 15. pr. l. 24. l. 27. pr. & §. ult. ff. h. t. A. Vinn. ad §. 7. I. de publ. jud. Arn. Corvin. in Cod. de his, qui sibi adscrib. in test.* Illa tamen particula *Quasi* ibi non denotat improprietatem; sed assimilationem, ut æquè sit falsum, ac si sit ex ipsâ *L. Cornel.* *ad. tit. Meier C. A. h. t. §. 1.*

X. Ab interpretibus variæ ob infinitos falsi casus effectæ fuerunt divisiones. Aliter *Perez*, aliter *Ant. Matth.*, aliter *Dn. Carpzov.* & alii alio modo dividunt. *Treutl. V. 2. D. 32. §. 8.* & ad eum *Hunnus* & ex illo *P. Theodor. Colleg. crim. D. 8. §. 2.* tradunt, quod falsum sit vel in homine, sc. partus suppositi, nominis & testimonii; vel in rebus, np. monetæ, scripti, mensuræ & aliarum rerum. Circa quam hoc notandum, quòd te-

Atimonium referant ad falsum in homine vel persona; cum in verbis adeo-
que in rebus falsum hoc committatur, neque enim falsitas hic efficit per-
sonam incertam & falsam; sed productus testis falsum dicit, quod probè
monet *Bachov. ad Treml. V. 2. D. 32. §. 8. lit. D.* Cujus divisionis à
materiâ desumptæ membra inferiùs in tractatione materiæ, absolutis pri-
ùs cæteris causis, quarum exactior tractatio adhuc desideratur, potissimùm
retinebimus, mutatâ quadantenus serie.

XI. Falsi causa efficiens est Dolus, si nempe falsum præcisè & in se con-
sideretur: aliàs cum falsum in objectum non inducatur nec committa-
tur, nisi per actionem, eversionem scil. veritatis; actiones verò sint
suppositorum, hoc respectu quoque dici potest, quòd efficiens ejus sit i-
pse falsarius sive dolosè verum immutans. Sed quia illud facit sub cer-
tâ qualitate & specie, dolo scil. versutiâ & calliditate adhibitâ, ut sic al-
teri imponere, ejusque intellectui glaucoma objicere possit, ideò à Dd. i-
psi dolo id adscribitur *per l. 9. §. 3. l. 22. pr. l. 27. l. 32. ff. l. 8. l. 20. C. h. t.*
Schneidevvin ad §. 7. Inst. de publ. jud. P. Theod. Coll. crim. D. 8. §. 1. lit.
B. Dn. Carpz. Pract. Crim. part. 2. q. 93. n. 6. plures alios ibid.
allegans.

XII. Hinc, cum non nisi dolo malo falsum committentes crimini
subjunguntur, *l. 20. C. h. t.* efficitur, quod dolus præsumtus non sufficiat, cum
regulariter ex præsumto nemo puniatur; sed dolum reverà adfuisse exqui-
sitissimè probandum sit, *l. ult. C. de Prob.* imò in crimine falsi nò facilè do-
lus; sed potius error præsumitur *l. 5. in. fin. C. de his qui sibi in Test. verb.*
magis error, quam malitia. l. 6. C. de Dolo. P. Theod. d. D. 8. §. 1. lit. B.
Dn. Carpz. d. q. 93. n. 7. Præsumitur quidem falsi Autor, & criminis sic
particeps, qui utitur alieno instrumento; sed si exhibendo eum, à quo
instrumentum accepit, & declarando, se ab ejus usu abstinere velle, in-
nocentiam suam probet, excusatur, *l. 4. §. 8. C. h. t. Perez, in C. h. t. n. 3.*

XIII. Nec lata etiam culpa ob eand. rationem hic attenditur, ut ob
eam criminaliter aliquis puniri queat, *arg. l. 7. ad L. Corn. de Sicar. Sic*
& ille, qui credit quid esse verum, adeoque jurat, cum tamen verum non
sit, ille temerè quidem jurat & fallitur, non verò est perjurus, nec falsari-
us, quia non facit ex animo, nec linguam ream facit, nisi mens rea, ut lo-
quitur Augustin. in c. homines falsum 22. q. 2. Sicuti & prætextu igno-
rantia excusatur, qui falsis testibus & instrumentis est usus, si de alieno
facto agatur, quo casu facilè ignorantia præsumitur: secus si de facto
pro

proprio, d. l. 4. C. b. quæ ignorantia cum non sit probabilis, probanda est, Menoch. de arbitr. cas. 315. Nec in illud incidunt impuberes, qui doli nondum sunt capaces, l. 22. ff. h. t. ætas enim eorum, quid videat, ignorat, l. 1. in fin. C. de fals. mon.

XIV. Dolo itaque præsumto, latâ culpâ, errore, ignorantia, ætate incapace hinc remotis, tantum vero dolo hoc crimen committit falsarius, quod vel ipse perpetrat, ut qui edicta prætoris in albo proposita dolo malo corrumpit, l. 32. ff. h. t. manum alterius imitatur, Nov. 73. vel fieri mandavit, ut si unus falsum dictavit, alter hujus instinctu scripsit, sigillavit, subscripsit, uterque tenetur, l. 2. in f. verb. *cujus dolo malo id factum erit*, ff. h. t. vel quia usus est l. 13. §. 1. ff. l. 4. l. 8. C. b. t. vel qui celavit & suppressit, l. 8. C. de Episc. & Cleric. Ut si Judex aut Notarius non annotent ea, quæ testis dixit, quâ studiosâ veri occultatione dictum testis, quod indivisibile esse debet, dividunt & falsum committunt, uti pluribus eos falsi committendi modos perquirat P. Theod. d. Disp. §. 4.

XV. Hinc ad Formam. Est ea ipsa veri immutatio; quando enim falsarius dolum animo conceptum jam ipso facto adhibet & applicat ad objectum, eo ipso falsum tanquam per suum formale efficitur & produci-
tur, l. *quid sit falsum* 23. ff. h. t. Ex quo textu formam expositorius Schnei-
dew. dicit, quod non dicto; sed facto, non mentiendo; sed perverten-
do consistat, ut si quis alienum Chirographum effingat & imitetur, ad §.
7. §. de publ. jud. Idem etiam sentit Dn. Carpz. cit. q. n. 8. & 9. qui ex
P. Theod. & hic ex aliis addunt, quod si quis dicat rationem & compu-
tationem minorem vel majorem continere quantitatem, quam reverâ
continet, mendacium quidem dicat, falsum non committat, cum non
contineat veritatis immutationem; sed error ratione calculi factâ sta-
tim appareat: At qui rationem faciendo eam ita mutat, ut minor ma-
jorve exsultet summa, falsum efficiat. Sic & testis deponens aliquid,
quod in se verum est, ipsi tamen ignotum, falsum non perpetrat, cum ve-
rum non mutetur; sed potius falsò deponit, & ideò nec hic; nec ille, qui
hunc ad testificandum induxit, poenâ falsi tenetur, uti cit. in locis iid. Dd.
hanc rem illustrant.

XVI. Et hæc immutatio fit sub imitatione & specie veri; quemadmo-
dum Metaphysici in genere docent, quod nihil denominari possit falsum,
nisi habeat similitudinem cum eo, cujus ratione falsitas ipsi tribuitur, sic
ut argentum non dicitur falsum aurum, cum non habeat eam conve-
nien-



nientiam, ut imponere alicui possit, ut iudicet, esse verum aurum: sic & hic falsum dicitur nihil aliud esse, nisi imitationem veri, in l. 23. ff. h. r. & Nov. 73. Unde solam Imitationis vocem adhibent in suis definitio-
Vvesenbec. Mynsinger & alii, non quod sint opposita, probè enim simul stare & conjungi possunt illa immutatio & imitatio veri, quemadmo- dum unum per alterum non excludunt *Meier in Coll. Arg. ad h. r. §. 1. Jo. Rebhan Hodeget. Jur. pag. 885. Jo. Arn. Corvin. Elem. Jur. ad Instit. de publ. jud. pag. 244.*

XVII. Posthæc ad formam referri posse videtur notatio illa L. Cor- nelia, quâ sine nullum falsum committi, supra ostensum; nisi ob gra- vitatem in capitulum aliquod d. Legis impingat, ejusque animadversio- nem incurrat, non enim ex lege quis punitur, nisi læsâ. Et cur post L. Corn. non expressi supplerentur, & ad falsorum classem redigerentur? aliàs sequeretur, omne falsum, quod ita in genere nuncupatur s. men- dacium L. Corn. vindicandum esse, quod tamen ob non sufficientem a- trocitatem, nimis atrox & acerbum esset, *Schneidevv. in §. 7. n. 2. Inst. de publ. Jud.*

XIIX. Finis statuitur damnum seu præjudicium alterius, per l. 16. ff. h. r. *Schneidevv. in §. 7. Inst. de publ. Jud.* Nihilominus tamen negari non potest, quod falsum ut plurimum committatur lucri gratiâ, adeoq; convenientiam cum turto habeat, ejusque speciem quandam induat *Bachov. ad Treutl. V. 2. D. 32. §. 8. lit. A.* Unde etiam distinguunt, quod deceptio & damnum alterius sit finis principalis; lucrum verò minus principalis *Schneidevv. d. 1.* Sed cum finis principalis & ultimus sit is, qui ita intenditur & expeditur, ut ejus gratiâ alia sint, ipse verò nullius alterius gratiâ sit, uti sanitas est principalis & ultimus finis eorum, quæ pertinent ad artem medicam; minus principalis verò seu intermedius finis, cujus gratiâ ita aliquid est, ut ipse sit alterius gratiâ, qualis est expul- sio pravorum humorum, propter hanc enim sumitur medicamentum purgans, ut ista expulsio sit propter sanitatem. *Schal. Comp. Metaph. Cap. 20. n. 7. & 9.* Hinc potius invertendum erit, ut principalis falsi finis sit captatio lucri seu commodi alicujus: minus principalis verò deceptio vel damnum alterius, propterea enim falsarius alterum decipit & damno afficit, ut suum commodum quærat, non vice versâ. Exempla subducenti reserit manifesta,

XIX. Op.

XIX. *Oppon.* Sed *lucrum est finis furti.* E. *furtum & falsum non differunt: ratio, nam maleficia causa finalis & propositum delinquentis distingvit, ut si quis injuriæ causâ januam effregit, alius res abstulit, effractor non tenetur furti, l. qui injuriæ 53. ff. de furtis. facit l. 39. ff. eod. l. 8. §. 2. 3. ff. Arb. furt. Cas.* Resp à fine petitur quidem differentia; sed non tantum, verum & quidem magis à formâ, ea enim perfectè dat distingvi. Quidni enim principaliter sit distinctionis fundamentum, quod ex ratione formali, quâ res constituitur, quàm quod ab externo petitur, *Vendelin. in Phil. mor. l. 1. c. 3. q. 29.* ubi docet, per quod vitia in genere à se invicem distingvantur. Posito jam, furtum & falsum ratione finis convenire, differunt tamen adhuc ratione formalis, quod est in furto, contractatio fraudulosa, falsi verò immutatio veri. Quid? quod adhuc ratione finis differentia adesse videatur, in furto enim finis est captura lucri; sed rei tantum mobilis: in falso commodum captatur generalius & variis aliis modis, v. gr. mutat quis nomen & mentitur aliam personam, ut sui venerationem & majestatem conciliet, cujus rei exemplum affert *On. Carpzov. d. q. 93. n. 34.*

XX. *Obst.* Quod falsarius esse possit, qui lucrum non sentit, *l. 6. ff. h. r.* ubi quis sibi adscripsit legatum, quod quamvis rupto testamento fiat inutile, tamen *L. Corn.* tenetur. Resp. habuit lucrum principaliter in intentione, quod sufficit. Sicuti perfectum est furtum, quamvis ex contractatione lucrum actu non sentiat, quando fur in ipso facto apprehenditur, vel etiam sine ablatione, sola contractatione committitur *l. 21. §. 8. ff. de furt. Vinn. in §. 1. Inst. de Oblig. quæ ex delict. nasc.* finis enim non informat vel perficit rem ipsam.

XXI. Et posito, dari falsum, in quo præter deceptionem & damnum alterius aliud quoddam commodum non intendatur, cujus rei vix exempla dari poterunt: nihilominus maneret hoc, quod tunc demum isto in casu præjudicium & deceptio alterius sustineret vicem finis ultimi vel principalis, qui aliàs ut plurimum ultimâ & principaliter consistit in studio lucri. Confirmat hoc *Fr. Connarus*, quæstionem pertractans, cur de falso transigere liceat, ut de eo pactus non existimetur confessus delictum: Respondet, quod paciscatur propter conjunctum pecuniarium commodum, sine quo nullum falsum est; sed ejus gratiâ factum. *L. 5. c. 7. n. 4.*

XXII. Interim hoc certum est, quod quamvis nullum præjudicium alteri actu intulerit, adeoque nec sui commodum obtinuerit falsarius; tamen

men



men in se perfectè falsum possit esse commissum & poenâ L. Corn. coër-
cendum, per d.l.6.ff. h. t. si modò præjudicare potuerit, cum potentia
actui proxima habeatur pro actu ipso, l. 5. §. 11. de his, qui de jec. vel effud.
l. pen. ff. de testam. mil. Ut enim perfectum sit crimen, inquit Ant.
Matth. non requiritur, ut fructu sceleris reus potiatur, veluti heredita-
tem auferat, hominem opprimat, solutis adulterinis nummis improbum
lucrum faciat: sufficit, factum esse nummum vel testamentum falsum, e-
riam si detectâ fraude lucri spes decollârit, l. 8. C. h. t. l. 19. ff. eod. d. Ant. in
L. 48. tit. 7. c. 6. §. 2.

XXIII. Absolutis cæteris causis, potiores species objecti recensenda
veniunt. Membrum (1.) falsi esto circa testamentum, ideò quia Lex
nostra de testamentis primò fuit lata. Itaque circa testamentum falsum
committit, qui verum amovet, celat, eripit, delet, interliniit, subjicit, re-
signat, qui falsum scribit, signat, recitat dolo malo, cujusve dolo malo id
factum est, qui vivi testamentum aperit, l. 1. §. 5. l. 2. l. 7. l. 16. pr. ff. l. 14.
C. h. t. Nec ille tantùm hâc L. tenetur, qui falsum testimonium fecit,
sed etiam, qui eo usus tantùm est, vel recitavit, l. 2. ff. l. 8. C. h. t. l. 4. C. si
reus vel accus. morti. fuer. Nec obstat l. 13. §. 1. ff. h. t. ubi Papinianus
dicit, non recitato; sed facto falso quem in Corneliam incidere, post
eum enim constitutum & receptum fuit, ut recitator quoque Corneliâ
teneretur, Ant. Matth. de Crim. ad h. t. c. 1. n. 3. Arn. Corvin. in Cod. h.
t. VVisenb p. 2. D. 36. n. 8.

XXIV. Itidem circa testamentum quasi-falsum committit ex Scto
Liboniano, qui adhibitus ad scribendum testamentum aut Codicillos,
sibi, vel ei in cuius potestate est, vel ei quem in potestate habet, vel ei qui
in eadem potestate est, hereditatem, legatum, fideicommissum, liber-
tatem vel aliud emolumentum adscripserit, etiam si testamentum initio
non sit jure factum, aut eo rupto legatum fiat inutile, aut jussu testatoris,
aut in testamento militari sibi adscripserit, aut jus se ignorasse scribens
prætendat, l. 1. §. 7. l. 6. l. 10. l. 14. l. 15. l. 17. l. 22. §. 1. ff. 99. ff. h. t. C. t. t. C. de
his qui sibi adscrib. in testam. Voluntas tamen testatoris debet esse per-
fecta, nam si ea imperfecta fuerit, magis est, ut Scto locus non sit,
l. 6. ff. h. t.

XXV. An hoc Sctm extendendum sit ad testamentum nuncupati-
vum in scripturam redactum, dubitatur? Treutlerus cit. D. d. s. lit. F.
Mejer. C. A. h. t. §. 3. & alii negant; Bachov. ad Treutl. d. Disp. lit. F.
Zœlius

Zoelius ad ff. h. t. n. 22. Arn. Corvin. in Cod. h. t. & alii affirmant, Hunnius ad Trentl. d. loc. neutrum expressè statuit. Placet Anton. Fabr. sententia, quam in tit. 14. C. de his qui sibi adscrib. defin. 1. proponit, quòd sc. S. C. t. m. tunc in nuncupativo scripto non habeat locum, si per testes probari possit; secus, si testibus defunctis scriptura necessaria sit ad probationem, cum tunc suspitione falsi non careat.

XXVI. Circa (2.) reliqua instrumenta & literas falsum committit, qui aliud, quàm in testamento sciens dolo malo falsum signat, signari curat: qui in rationibus, tabulis, cereis, literis publicis, aliàve quà re sine consignatione falsum fecit: qui, ut verum non appareat, celat, subripit, subjicit, recitat, resignat, l. 1. §. 4. l. 9. §. 3. l. 16. §. 1. & 2. l. 23. l. 25. l. 31. ff. l. 13. l. 20. C. h. t. qui instrumenta alterius apud se deposita adversariis suis prodit, l. 1. §. 6. ff. h. t.

XXVII. Not. quòd subripere tantùm pertineat ad testamenta & instrumenta publica l. 2. l. 16. §. ult. ff. h. t. non privata, horum enim subreptorum crimen non est publicum; sed privatum, d. l. 16. pr. ff. h. t. Sic & qui aperit privata instrumenta, vel alienas epistolas, non hâc lege; sed extra ordinem est puniendus, l. 1. §. 5. l. 2. l. 16. §. ult. ff. h. t. nisi hoc ideò fecerit, ut secreta scribentis proderet adversariis, tunc L. Corn. eum teneri videtur, arg. l. 1. §. 6. ff. h. t. Ant. Matth. d. tit. 7. c. 1. §. 7.

XXIX. Ad hoc membrum pertinet & iste, qui in instrumenti die falsum committit, ut si à debitore die pignoris prælato, obligatio mentiatur l. 28. ff. h. t. vel si creditor & debitor colludant in præjudicium tertii, l. 15. C. h. t. Aliàs falsum non committunt, si mutuo consensu instrumenti seu chirographi diem repetunt seu præferunt, ut si hodiè scripto instrumento Calendas superioris mensis apponant, quâsi tunc fuerit scriptum, l. 3. ff. de fid. instrum. A. Corvin. in C. h. t. Sic Notarius, qui confecit instrumentum nocturno tempore, & scribat in eo, actum tali die, falsum non committit; imò nec ei credendum, si asserat, se falsum fabricâsse instrumentum, quia fides publica, quam semel instrumentum coepit, haut facile in præjudicium tertii est infringenda, P. Theod. d. Disp. 6. 2. lit. E. Ant. Fab. in Cod. tit. XIII. ad L. Corn. de fals. defin. 4.

B

XXIX.

XXIX. Huc referendi videntur, qui sigilla aliave signa adulterina faciunt, ut alius iis utatur ad decipiendum. *Dn. Carpzov d. 9. n. 70.* & falsarii mendicantes, qui in literis mentiuntur casum fortuitum incendii, morbi, deteriorationis aut similem, ut stipem publicam emendicent, hominesque decipiant abutendo literis & sigillis alienis *ibid. n. 72.*

XXX. Circa (3.) judicia & testimonia falsum committit, qui iudicem corrumpit, vel corrumpi curat, *l. 1. §. 2. l. 21. ff. h. t.* qui testes corrumpit & ad falsum dicendum subornat, *Meier. d. loc. §. 2. n. 4.* qui edictum Prætoris dolo malo corrumpit *l. 32. ff. h. t.* qui ob instruendam advocacionem testimoniave in fraudem innocentium pecuniam accipit, pactusve fuit, vel societatem coit, *l. 1. §. 1. & 2. l. 9. §. 3. l. 20. ff. h. t.* qui ob renunciandum remittendumve, dicendum vel non dicendum testimonium pecuniam accipit, *d. l. 1. §. 2.* qui delatorem in causâ pecuniariâ submittit, *l. 9. §. ult. ff. h. t.* qui diversa testimonia duobus præbuit, ut inde anceps fides vacillet, *l. 27. pr. & §. 1. ff. h.* qui contra signum, i. e. scriptum testimonium signo suo confirmatum, testimonium dixit, *d. l. 27. §. 1.* iudex, qui adversus constitutiones Principum, jus publicum, quod apud se recitatum est, iudicat, pronuntiat, *l. 1. §. 3. ff. h.* qui falsum edictum proponit *l. 25. ff. h. t.* qui Principi vel Præsidi obrepit, aut falsis constitutionibus nullo auctore habito utitur, *l. 29. l. ult. ff. l. 4. l. 20. C. h. t.*

XXXI. Dicitur est, quòd accipiendo pecuniam ob testimonium dicendum falsum committatur: sed dubium est, an & tunc, quando testis accepit, ut verum dicat? Communiter id affirmatur per *d. l. 1. §. 1. & 2. P. Theod. cit. D. 8. 2. lit. C. Dn. Carpzov. d. 9. 93. n. 49. & 50.* Hunnius *ad Treutl. d. Disp. 8. 8. lit. C.* dicit, quod quidem non committat crimen falsi, sit tamen plectendus poenâ falsi: Sicut furti tenetur, cujus ope & consilio factum, licet ipse non fecerit, *§. 11. Inst. de oblig. qua ex del. nasc.* quod non videtur probandum. Bachovius verò *ibid.* inquit: Reverà hîc non habet locum definitio (falsi) nec multum facit *l. 1. §. 1. ff. h. t.* quoniam pecunia in dubio (dubium inde est, quia ibi non additur, quòd accipiat, ut verum dicat) accipi intelligitur, ut se corrumpi patiatur, idque in eâ specie factum, & ita à Scto intelligi pecuniam acceptam, verba mox sequentia ostendunt, *d. 8. 8.*

d. θ. 8. lit. D. Huic assentitur Mejer, *C. Arg. h. t. §. 2.* quæ sententia præ cæteris verior videtur.

XX XII. Dictum quoque est, quòd falsum committat, qui diversa testimonia deponit: sed tunc demum hoc verum est, si id fecit in iudicio; secus si alterum extra iudicium, alterum in iudicio: illud enim deposuit sine solennitate, juramento, vel præsentia iudicis: nihilominus de mendacio puniri poterit, *P. Theod. d. loc. Mejer. C. Arg. tit. X. §. 2. n. 11.* Si tamen, quòd extra iudicium pro testimonio dixerat, fuerit signatum, falsi poenâ obstringitur: illa enim, quæ extra iudicium dicta sunt, pro testimonio non sunt, quæ non ob signata fuerunt, *A. Corv. in C. h. t. & sæpè homines extra iudicium nugativè & sine ratione loqvuntur, scientes, quòd ex dicto nulla sequatur poena, P. Theod. d. loc.*

XXXIII. Circa (4.) monetam falsam (quòd incidit etiam in L. Jul. Majest. l. 2. C. h. t.) committit, qui monetam adulterinam fiat, ferit, cudit; qui nummos radit, tingit, fingit, excoindit, l. 8. l. 9. ff. h. t. qui frangit, fundit, lavat, qui nummos stanneos, plumbeos emit, vendit, d. l. 9. §. 2. qui privatim, i. e. non in publicâ officinâ, nummos & probos cudit, quamvis vi rescripti, quo concessum, ut liceat sibi nummos privatim cudere l. 1. 2. 3. C. de fals. monet. qui tale quid non prohibuerit, cum potuerit, l. 9. §. 1. ff. h. t. Ant. Matth. in d. lib. 49. ff. tit. 7. c. 4. n. 1. Arn. Corvin. in Cod. tit. 24. Unde & Magistratus, qui tales fraudes compertas reticet, suo jure privatur. C. C. Art. III. Mejer. hic §. 4. n. 12. qui quamvis quoad materiam & pondus probam cudit, arg. l. ult. C. de fals. mon. Zoes. ad ff. h. t. n. 13. Mejer. ibid. n. 7. qui alios prætereà recenset, qui sciens falsam monetam exponit, quamvis non cudit, exemplo eorum, qui falsis testamentis vel instrumentis utuntur l. 2. ff. l. 8. C. h. t. Ant. Fab. in Cod. lib. 9. tit. 15. def. 2. P. Theod. d. Disp. θ. 2. lit. D.

XXXIV. Not. hic 1. tingere nummos esse inaurare, inargentare: 2. lavare nummos i. e. vi aquæ Chrysulcæ, detractâ auri portiunculâ deteriores efficere. 3. plumbeos vel stanneos nummos emere, vendere dolo non licere, ne pretiosioris metalli colore tincti simplicioribus pro probis obtrudantur. *A. Matth. & A. Corvin. dd. ll.*

XXXV. Q. An privatus permissu Principis monetam cudere impune possit? Affirmat id P. Theod. d. D. θ. 2. lit. D. & Treutlerus d. θ. 8. lit. E.

lit. E. Negativam veriore[m] amplectuntur Ant Matth. & Arn. Corv. cit. in locis, Bachov. ad Treutl. d. loc. per l. 3. C. h. t. ubi, dicente Bachovio, Impp. ei minantur poenam, qui ex quâcunque Principis annotatione vel præscripto monetam cudere ausus fuerit, quòd præsumatur, id ex improbâ sub & obreptione fuisse impetratum, adeoque omnem facultatem hoc jus exercendi & spem ejus impetrandi præscindendam fuisse, ut autoritas monetæ conservaretur & in solis officinis Principis moneta cuderetur, quòd Principi aliàs turpe esset, exinde captare lucrum, & vergeret in Reip. damnum. Negativæ ad stipulatur quoque Dn. Carpzov. Pract. crim. p. 1. q. 43. n. 15. cum privatus non habeat jurisdictionem, nec Regalium capax esse possit: Concedi tamen illud jus posse dicit ab Imperatore Principibus & civitatibus; ab his verò aliis cedi non posse, cum multum intersit imperii, & jam tum in Germaniâ in tot ferè partes distractum sit, quot sunt principatûs, comitatûs & civitates. Imò & ipsi Imperatori potestatem jus monetæ concedendi restrictam fuisse, ut absque consensu Electorum id non possit, adstrictus ad id juramento, *ibid.* n. 16, 17.

XXXVI. Falsum (§) committit, qui menluras aut pondera falsat l. 32. §. 1. ff. h. t. qui stateras adulterinas habet, l. 6. §. 1. ff. de extraordin. crimin. P. Theod. d. D. g. lit. F. Ant. Matth. d. tit. 7. §. 15. §. 16. Arn. Corvin. in C. h. t. Gomez ad L. Taur 83. n. 12.

XXXVII. Huc referunt Dd. eum, qui merces corrumpit, ut faciunt qui piperi pulverem, farinae arenam, vino calcem, butyro sebum miscent; qui aromata loco subterraneo condunt, ut humor pondus augeat; qui pannis vilioribus sigilla falsa appendunt: qui summa parte sacci vel calathi poma decumana collocant, imò putria & austera & ejusmodi sexcenta alia, uti loquitur Ant. Matth. d. Tit. 7. §. 15.

XXXIIX. Eam tamen sententiam *ibid.* non probat, quòd qui merces supposuit vel corrumpit, potius stellionatûs teneatur per l. 3. §. 1. *vers. sed et si ff. stellionat.* Quæ sententia quidem jure civili videtur verior, verum ab eâ posterioribus sanctionibus & usu recessum fuisse, Dn. Carpz. ex art. 113. Ord. Crim. Carol. deducit, & utrumque ita conjungit: Quisquis falsitatem committit, malitiosè & fraudulenter abutendo falsis mensuris, ponderibus, libris, stateris, bilancibus adulterinis, speciebus, aut aliis mercibus depravatis seu corruptis, eaque

eaque ceu iusta usurpando & exponendo, poenâ falsi tenetur, in d. q.
93. n. 78. & seqq. Vid. Mejer. C. A. S. s. ad h. t.

XXIX. Q. An qui pondera aut menfuras vitiant, rectè dicantur
falsarii, cùm videantur esse Dardanarii, atque ita extra ordinem ac-
cusari l. 6. §. 1. & 2. ff. de Extra. Crim. Resp. Vero similis vide-
tur, utroque iudicio hos reos fieri posse, & publico & privato seu
extraordinario. A. Matth. d. tit. §. 16.

XL. Circa (6) Obligaciones sive Contractus falsum commit-
tit, qui duobus eand. rem diversis contractibus in solidum vendit
l. 21. ff. h. t. Creditor, qui cum debitore suo colludens rem oppigne-
ratam alii vendit l. 15. C. h. t. debitor, qui prælato i. e. anticipato
die pignoris obligationem mentitur l. 28. ff. h. t. tutor vel curator
ante restitutam tutelam cum fisco contrahens, l. 1. §. 9 ff. h. t. l. 49.
ff. Locat. cond.

XLI. Q. An, qui eand. rem duobus in solidum vendit, rectè di-
catur falsarius, cùm potius videatur stellio, l. 3. §. 1. vers. ubicunq;?
Ad quam decidendam Ant. Matth. deprehenso & multis confutato
Cujacio cum veteribus distinguit inter oppignorationem & vendi-
tionem, ut nim. ille solus incidat in L. Cornel. de falsis, qui rem
eand. duobus in solidum diversis contractibus vendidit; non eti-
am qui oppigneravit, aut qui oppigneratam alii, alii distraxit, ra-
tio, quòd Hadriani constitutione nominatim hoc fuerit expres-
sum, ut vendens duobus poenâ falsi teneretur, v. l. 21. ff. h. t.
de reliquis speciebus cùm eadem constitutio tacuisset, extraordi-
nariam stellionatus accusationem dandâ censuerunt, Ant. Matth.
lib. 47. ff. tit. 13. cap. 1. §. 4.

XLII. Putat Gothofredus in not. ad l. 21. ff. de fals. & l. 16. §. 2.
ff. de pignor. quòd in utroq; casu & oppignorationis & venditionis
committatur tam falsum, quàm stellionatus: Et verum quidem est,
quòd parum differentia sit inter vendentem & oppignerantem, &
utriusque eadem fraudulentia esse videatur, uti ipse agnoscit A.
Matth. d. l. Sed stellionatus accusari nequit, qui falsi potest, cum stel-
lionatus objiciatur deficiente alterius criminis accusatione, per l.
3. §. 1. vers. ubicunq; ff. stellionat. Vera igitur est disjunctiva, non
copulativa: Ac quamvis magna adsit cognatio, & probabiliter
etiam

etiam pro Gothofredo disputari possit; tutius tamen adherere textui, quo patet, quod venditor ejusmodi sit falsarius, quia ita constitutum: quod si ita constitutum non esset, stellio esset, *Mejer. C.A. ad h.t. §. 2. n. 20.*

XLIII. Hæ sunt potiores species falsi, quæ circa res committuntur: addi & alii casus potuissent; sed istos hæc vice prætereò, pergens ad falsum, quod in persona perpetratur, & duobus sequentibus membris peragitur.

XLIV. Circa (7.) naturam falsum fit per partus alieni suppositionem *l. 19. §. 1. l. 30. §. 1. ff. h. t. l. 1. l. 10. C. eod.* Crimen est gravissimum, cum per illud ordinum familiarumque dignitas confundatur, quam salvam manere Reip. interest, *l. 1. §. 13. de Inspec. ventr. A. Corvin. in Cod. h. t.* Tale impetrasse Eutropiam Syram, uxorem Maximiani Herculii Imperatoris, historiarum produnt monumenta: nam cum mariti animum sibi cuperet retinere devinctum, subjecisse sibi fertur Maxentium, prout ex *Petr. Gregor. l. 14. de Rep. c. 1. referunt P. Theod. d. Disp. 8. §. 2. lit. A. & Dn. Carpz. d. q. 93. n. 27.*

XLV. Idem etiam huc applicant aliam personam pro aliâ in contractu, testamento, judicio, aut aliâs quomodocunque suppositam, addito casu ex *Jul. Clar. §. testamentum. q. 59.* ubi mulier sagax maritum, postquam expiraverat, statim è lecto extrahi fecit, & alium pro eo supposuit, qui fenestris thalami clausis & capite pannis involuto, simulans se propter infirmitatem vix loqui posse, condidit testamentum, in quo uxorem instituit heredem & aliis personis diversa legata reliquit. *P. Theod. d. l. Dn. Carpz. d. q. 93. n. 32.*

XLVI. Crimen hoc (8.) committit, qui falsum nomen vel cognomen assumit vel sibi asseverat *l. 13. pr. ff. h. t.* si tamen id faciat cum fraude & alterius decipiendi causâ, genus, parentes sibi fingens, *A. Matth. in Lib. 48. ff. tit. 7. §. 17. Arn. Corvin. in Cod. tit. 25.* Aliâs enim cuius licitum est nomen mutare *l. un. C. de mutat. nom.* imò aliquando interest, ut quis alterius nomen assumat: Sic arrogatus nomen & familiam arrogatoris, heres institutus nomen testatoris suscipere solet; & si fuerit institutus sub conditione cer-

ti noz



ti nominis vel cognominis ferendi, aut defuncti vel alterius insignia sumendi, suscipere debet, nihil enim mali est honesti hominis nomen assumere *l. 63. § 7. & 10. ff. ad SC. Trebell.* Conditionem tamen turpem Prætor remittit, ut si nomen testatoris Vespillonis quis ferre jubeatur: est enim dignitatis ratio habenda *l. 7. ff. eod. A. Corvin. ad C. tit. 25.*

XLVII. Proinde in *L. Corn.* incidit, qui natus infimo loco mendaciis clarissimæ familiæ se inferere conatur, qui falso dignitatis titulum sibi usurpat, ut qui se pro milite gerit, illicitis insignibus utitur, falso diplomate (rectius diplomate, per quod intelliguntur literæ principis, quibus facit alicui potestatem utendi in itinere equis publicis, *Cujac. in l. un. C. de tractor. & stativ. A. Matth. d. tit. 7. §. ult. A. Corvin. ad eund. tit.*) vias commeat *l. 27. §. fin. ff. h. t.* qui se pro Comite, Nobili, Doctore gerit, qui se creditorem mercatoris, ut ajunt, falliti falso asserit, qui se Comitem Palatinum vel Notarium fraudulenter affirmat, *P. Theod. d. Diss. 8. §. 2. lit. B. Dn. Carpzov. d. 9. 93. n. 83. & seqq.* ubi inter varia ejusmodi falsariorum exempla & hoc recenset, quod foemina quædam infantem baptizatum dixerat nondum baptizatum & ethnicum, adeoque ter baptizari fecerat, ut plus pecuniæ à testibus baptismi collati seu susceptoribus lucraretur *d. loc. Privatus, pro magistratu se gerens in Leg. Jul. Majestatis incidit, l. 3. §. fin. ff. ad l. Jul. Maj.*

XLIIIX. Et tantum de objecto: absolutis itaque & perlustratis causis, deveniendum ad effectum. Falsum, quod est ipsius falsarii effectum, gignit accusationem & pœnam. de illâ prius.

XLIX. Potest secundum jus civile de crimine falsi tam civiliter, quam criminaliter agi *l. 2. l. 5. l. 9. l. 11. l. 16. l. 17. l. 23. & l. ult. C. h. t.* nam privata utilitas judicium civile, publica disciplina criminale postulat *arg. l. 9. §. 5. ff. de publican. Arn. Corvin. in Cod. h. t.* Et si civili quis expertus fuerit, criminali non fit præjudicium, quoniam hoc ad vindictam, illud ad perfectionem rei familiaris pertinet *l. 3. §. 6. ff. de tab. exhib. l. un. Cod. Quand. civ. act. crim. præjud. Ant. Matth. lib. 48. tit. 7. c. 3. §. 3. VVissenb. in ff. h. t. n. 11.* Sed electo judicio civili, id prius

prius per sententiam terminandum est, quàm criminale inchoatur
leg. pen. C. h. t.

L. Sunt verò civilia iudicia, quæ cum accusatione concurrunt,
actio doli, de tabulis exhibendis, depositi, utilis Aquilæ legis, in
factum pœnalis & similes *l. 9. §. 2. l. 35. ff. de dol. mal. l. 25. l. pen.
§. 1. ff. h. t. l. 1. §. 38. ff. de pos. l. 41. ff. ad L. Aquil. l. 3. §. 6. ff. de
tab. exhib. Non Obst. l. ult. ff. eod. Ant. Matth. d. l.*

LI. Iudex competens falsi est Rector Provinciæ, sive agatur
civiliter, s. criminaliter *l. 10. l. 17. C. h. t.* Iudex pedaneus de fal-
so tantùm civiliter cognoscit *l. 11. C. eod.* Hodie apud magistra-
rum quemlibet proponitur hæc accusatio criminibus pœnam di-
stantem, *Mejer. C. Arg. hic §. 12. in fin.* Cum criminaliter agitur,
acerrima debet fieri indagatio *l. 22. pr. C. h. t.* & probationes
certissimæ afferri *l. ult. C. de Probat. in civ. iudicio* levior inquisi-
tio admittitur *l. pen. in fin. C. h. t.* ubi & argumenta sufficiunt ad
detrahendam suspectæ scripturæ fidem, *Clar. §. falsum, v. trita est
conclusio num. 30.* Et quæcunqve benignior interpretatio capletur
ad effugiendum falsi crimen, *Gomez ad L. ult. Tauri, A. Corvin d.
t. p. 756.* nam propter talem maculam homo ad nihilum redigitur
inter homines *P. Theod. Disp. 8. §. 5. lit. A.*

LII. Quod verò idem *d. §. 5. lit. D.* cum aliis dicit: licet accusa-
tor suam sententiam non probet, reum tamen non debere absolvi
per l. 4. C. de edend. nisi suam innocentiam probet *l. 22. C. h. t.*
id verum non videtur. nam *d. l. 4.* ipsi potius adversatur, cum
contineat regulam, Actore non probante absolvitur reus: in *d. l.
22.* non requiritur, ut iudex generaliter reo innocentie probatio-
nem injungat, nec rationi consentaneum foret: jubetur quidem ju-
dex medius esse inter utramqve personam, ne probationis ne-
cessitas soli accusatori incumbat, id verò intelligendū est de eo casu,
cū scripturam ab utraqve parte prolatam altera falsi arguit;
nam tunc, si contra scripturam conjecturæ existunt, illius sincerita-
tem debet probare, qui eam nititur. *A. Corvin. d. tit. p. 756.*

LIII. Debet etiam iudex initium non sumere à tormentis; sed
demum certis indiciis motus jubere, ut personæ ad eliciendam ve-
ritatem per tormenta interrogandæ exhibeantur *l. 17. C. h. t. l. 8. §. 1.
C. de*

C. de Quæst. debet animi sui motum in sententiam usque tegeret,
l. 22. *C. hic.* nec pati, litem ultra tempus lege præscriptum protrahi,
l. ult. *C. ut intra cert. temp. crim. quæst. termin.* id quod est bi-
ennium à die litis contestatæ computandum *d. l. ult. d. l. 22.*
§. fin. C. h. t.

LIV. De falso queri possunt tantum viri, non mulieres: nisi
illæ suam suorumque injuriam prosequantur, vel res suas, quæ ab
aliis detinentur, repetant: & tunc cavere debent, ne temerè &
per calumniam accusent, l. 19. *C. h. t. l. 1. §. 10. ff. ad SC. Turpill. Pe-*
rez in Cod. h. t. n. 9. Filius contra matrem de falso agere civiliter
non criminaliter, nec ullum aliud crimen capitale contra eam
intendere potest l. 5. *C. h. t. l. 11. §. 1. ff. de Accus.* Servus de suppres-
sis testamenti tabulis, quibus libertatem sibi datam dicit, queri
potest, l. 7. *ff. h. t.* ut & Dominum falsæ monetæ reum accusare
l. 53. *ff. de judic.* heres vel legatarius, qui ignoravit testamentum,
ex quo aliquid accepit, esse falsum, l. 3. *ff. l. 3. C. h. t.* qui ex falsis in-
strumentis per errorem solvit, vel cautionem interponit, etiam
post sententiam judicis l. 11. *ff. de Except.* qui errans, non dubitans
vel sciens ex falsis instrumentis transegit l. 7. *C. h. t. l. 18. C. de*
transact.

LV. Partus suppositionem soli parentes, aut ad quos ea res
seu injuria pertinet, accusant l. 30. *§. 1. ff. h. t.* & mater non ex-
pectatâ pubertate proliis, criminis hujus rea postulari potest
l. 1. *C. h. t.* Qui civiliter de falso agit, per procuratorem con-
queri potest; non qui criminaliter l. 16. *C. h. t.* Illustres non pos-
sunt de falso criminaliter agere, ob honorem familiæ; nec perso-
næ conjunctæ, ob sanguinis conjunctionem l. 17. *h. pen. C. de his qui*
accus. non poss. Sed hoc casu procurator fisci litem & accusatio-
nem exequi debet, *Ant. Fab. in C. ad h. t. def. 5. A. Corv. in. C. h. t.*

LVI. Datur hæc accusatio contra falsarios, qui, quales & quoru-
plices sint, patet ex superiori falsorum enumeratione.

Durat accusatio falsi ad vicennium, nam 20. demum an-
norum præscriptione excluditur l. 12. *C. h. t.* sed accusatio suppo-
siti partus nullâ temporis præscriptione tollitur l. 19. *§. 1. ff. h. t.*
Hunnius *ad Trentl. V. 2. Disp. 32. §. 8. lit. B.* dicit esse exceptionem
à supe-

C

à superiori regulâ & accusationem de falso partu & ultra vicenni-
um dari: idem sentit Bachov. *ad Trentl. vol. 2. Disp. 31. §. 8. lit. E.*
Dissentiunt Perez *in Cod. h. t. n. 22.* Zoef. *in ff. de Accus. & in-*
script. n. 30. statuentes, quòd nullâ præscriptione tolli possit, nisi
vicennali *per l. 12. C. h. t.* Posset dici, Accusationem, quâ ipse
supponens impugnari possit de falso perpetrato 20. ann. spatio
terminari; secùs, si ipse partus suppositus cognoscatur talis, qui e-
tiam post 20. annos removeri potest ab hereditate, *d. l. 19. verb. ac-*
cusatio suppositi partus. ne scelere quæsitâ illi profint, alii iniquè
noceant: sicut nec post mortem supponentis extinguitur, *d. l. 19. §. 1.*
cùm aliàs morte extinguantur crimina *l. 6. ff. de Publ. jud. Zoef.*
d. loc. n. 30.

LVII. Poena ex L. Cornel. falsi vel quasi falsi fuit in liberis per-
sonis deportatio & bonorum publicatio; in servis ultimum suppli-
cium, uti generaliter respondit Marcianus *in l. 1. §. ult. ff. h. t.* fuit
tamen variata poena & aliquando deportatione levius, aliquan-
do supplicium gravius irrogatum. Sicuti extendi potest ad ma-
nûs amputationem *Nov. 17. c. 8. pr. Nov. 134. c. 13.* ad ultimum
supplicium *l. 22. C. h. t. l. 1. l. 2. C. de fals. mon.* & gerens se pro mili-
te, vel illicitis insignibus utens pro admisi qualitate gravissimè pu-
nitur *l. 27. §. ult. ff. h. t.* Et postquam poena publicationis bono-
rum fuit correctâ, *Auth. Bona damnatorum, C. de bon. præscript.*
in locum deportationis etiam successit relegatio, *Jul. Clar. §. fal-*
sum, num. 31. Dn. Carpzov. d. q. 93. n. 18. & quandoque fustiga-
tio, *Schneidew. in §. 7. J. de publ. jud. n. 10. Dn. Carpz. cit. loc.*
hinc inferunt Dd. quod hodiè poena falsi sit arbitraria, *Mynsinger*
in §. 7. Inst. de publ. jud. Dn. Carpzov. sap. cit. q. 93. n. 16. & seqq.
addens, quòd in Imp. Germano & foro Sax. arbitrariâ poenâ coër-
ceantur falsarii, ut plurimum tamen relegatione aut fustigatione,
ut tamen ob literationem & atrocitatem ad mortem extendi pos-
sit, *ibid. n. 95. & seqq.* ubi in fin. notabile adjicit exemplum, cui
poena gladii dictata fuit.

LIX. Sed de uno vel altero membro non nihil specialius dicen-
dum, circa (1) testamentum quidem addens, quòd, si quis in eo si-
bi vel alij illicitè & contra Sctum adscripserit, poena sit, quod scri-
ptum

ptum pro non scripto habeatur *l. 4. l. 5. l. ult. C. de his qui sibi ad-*
scrib. item, quòd quamvis aliàs falsi pœna non habeat locum, nisi
dolo admissum fuerit; tamen excipienda sit species Scto Libon.
comprehensa, in quâ nec ignorantia juris, quæ culpæ species est,
à pœna excusat l. 15. pr. ff. h. t. Ant. Matth. d. Lib. 48. tit. 7. c. 2. §. 3.
Cæterùm subsistendum in iis, quæ de pœnâ L. Cornel. ante in ge-
nere dicta sunt, l. 3. & 4. C. de his qui sibi adscrib.

LIX. Hunc, qui (2) in instrumento aut scripto falsum commi-
sit, arbitrariâ vel carceris, vel relegationis, vel fustigationis pœnâ
plecti debere tradunt Wesenb. *in ff. adh. t. n. 8. Dn. Carpzov. d. q.*
n. 63. aliq. Dd. Ei etiam, qui falsum instrumentum recitavit, le-
vius deportatione supplicium irrogari volunt *A. Matth. per l. 13. §.*
1. ff. h. t. in lib. 48. ff. tit. 7. c. 2. §. 2. A. Corvin. in Cod. h. t. E con-
trario, quòd ad mortem usque quandoque extendatur, tam in eo,
qui sciens falsis instrumentis utitur, quàm qui falsitatis machinator
fuisse probatur, *tradit Perez in Cod. h. t. n. 18. per l. 8. C. h. t.* Cui
addo Ant. Pichardum, qui, si publicus est tabellio, inquit, circa in-
strumentum falsum committens, officio privabitur, si Regiæ Ca-
meræ aut curiæ tabellio, pœnâ mortis plectetur, *in §. 7. Inst. de*
Publ. jud. n. 2. 3. & 4. interdum eidem manus amputabitur c. Im-
perialem, vers. scriba & c. de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55.
Ludov. in §. 7. 7. de publ. jud. Pichardus ibid. n. 5. ubi addit:
quòd hic non minùs utilis i. e. sinistra manus; sed dextra, cum quâ
deliquit, sit amputanda. Sic & tabulariis civitatum, quorum frau-
de factum est, ut quis sibi immunitatem assereret, ultimum suppli-
cium irrogatur, *l. 1. C. de Immun. nem. conced.* Omnia pro diversâ
qualitate & atrocitate delicti.

LX. Idem judicandum de eo, qui circa (3) testimonium falsum
commisit, de procuratore, qui prævaricando causam clientis mali-
tiosè adversariis prodit & perdit, de iudice, qui injustam sententi-
am fert, ut pro qualitate delicti arbitrariè carcere, numillis, relega-
tione, fustigatione vel alio modo puniri possint. *Ant. Pichard. in*
§. 7. Inst. de publ. jud. D. Carpzov. d. q. n. 46. & seqq. Extendi
quoque ad mortem & capitale supplicium iis arrogari potest, qui
falsum testimonium dixerunt, ut innocens capitali iudicio oppri-
meretur

meretur *l. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* quod divinâ quoque lege cautum est, *Deut. 19. v. 16. & seqq. Ant. Matth. d. tit. 7. c. 2. §. 1.* adeo ut quamvis subscriptio ad poenam talionis jam sit sublata *A. Corvin. in C. de Accus. & inscript.* hic tamen ead. poenâ puniatur, quâ reus, si de delicto confessus esset, deberet puniri & sic talionis poenam patiatur, *l. Tauri 83. & Gomez ibid. n. 7. Pichard. d. loc. num. 10. Mejer. Coll. Arg. hic §. 14. Dn. Habn. ad Wesenb. h. n. n. 4.* quod ad judicem similiter porrigitur per *l. 7. §. fin. ff. de L. Jul. Repetund. Gomez d. loc. n. 10.*

LXI. Falsi (4) nummarii non est eadem supplicii ratio: Olim quidem ead. fuit, quæ falsi testamentarii, nempe deportatio: postea liberi ad bestias dari, servi ultimo supplicio adfici cœpere, si ve finxissent, si ve tinxissent, si ve rasissent nummos aureos *l. 8. ff. h. t.* Sed ex *l. 2. C. de fals. mon.* adulteratores monetae flammis subjiuntur, omni appellatione remotâ *l. 1. §. appellandi C. d. t.* Quæ tamen flammarum poena pertinet tantum ad eos, qui falsam monetam fecerunt, non ad eos, qui factâ usi sunt: non ad eos, qui non prohibuerunt, cum possent, *Ant. Matth. d. tit. 7. c. §. n. 2. A. Corv. in C. tit. 24. de falsa mon. p. 758.* hi enim *d. l. 2. C. eod.* non exprimuntur: nec ad eos, qui conati & falsam monetam cudere cœperunt; sed justâ poenitentiam ducti, totum formare noluerunt, *l. 19. ff. h. t.* nec ad eos, qui unum vel alterum nummum falsum fecerunt, nam & quantitatis ratio est habenda, propter quam etiam poena interdicitur vel remittitur, *l. 16. §. 7. ff. de poen.* nec ad eos, qui monetam probam raserunt, qui tamen capite puniendi, *A. Matth. d. l. & A. Corvin. in Cod. de falsa mon.*

LXII. Jure Saxon. tantum flammarum exustionibus adjudicatur, qui (quod est ratione materiae) falsam & format & expendit, etiamsi quis falsificet monetam inferioris principis, vel aliorum statuum imperii, vel sit moneta minoris speciei, vel etiam sint nummi; sed iteratione saepius factâ: non verò si sit moneta extranei principis, si argenteam auro tinctam pro aureâ expendat, vel presumatur non adeo malitiosum adfuisse animum, ut in minorene; sed hi arbitrariè & mitius puniuntur. Qui format tantum, non verò expendit, truncatione capitis; qui exponit tantum, non cudit, fustigatione & relegatione perpetuâ puniri debet, *Dn. Carpzov. pract.*

pract. crim. p. 1. q. 42. n. 31. & seqq. Qui autem sine privilegio (quod fitratione formæ) quamvis justam & ponderosam monetam cudit, vel justæ monetæ alienum signum imponit, vel radit, aut mutilat, vel grandiore reflat & in fornacem coniectam resolvit, ut minorem efficiat, arbitrariè punitur vel carcere, vel relegatione, vel fustigatione, vel multâ pecuniariâ, *Dn. Carpz. seq. q. 43. n. 20. & seqq.*

LXIII. Ab omnibus, ad quos locus, ubi falsa moneta cusa est, pertinet, in monetæ falsarios inquiri & judici tradi debet: non inquirentis negligentia confiscatione domûs vel fundi, in quo crimen commissum, punitur, *l. 1. C. de fals. mon.* Ut reus criminis conscios prædat, de eo quæstio per tormenta habetur: miles qui reum de custodiâ dimisit, capite plectitur. *d. l. 1.*

LXIV. Falsum circa (5) mensuras & pondera, ut & circa (6) contractûs commissum leviùs puniri debet *l. 21. l. 32. §. 1. ff. h. t.* ubi dicitur, in duplum damni dati eos condemnari, *Ant. Matth. d. tit. 7. c. 2. §. 2. Arn. Corvin. in Cod. h. t. p. 756.* Sicut & jure Sax. horum falsariorum pœna est arbitraria carceris, relegationis vel fustigationis pro ratione delicti & damni illati. *Dn. Carpz. pract. crim. p. 2 q. 93. n. 80. & seqq.*

LXV. Crimen capitale dicitur (7.) partûs suppositi, in *leg. 1. C. h. t.* Sed cùm per capitalem pœnam non tantùm ultimum supplicium; sed etiam interdictio aquæ & ignis, & deportatio (in cujus locum hodiè successit fustigatio) possit intelligi § 2. *Inst. de publ. jud.* controversunt inde *Dd.* quanam sit intelligenda. *Ant. Perez in Cod. h. t. n. 21. Zœs. in ff. h. t. n. 7.* & alii explicant non de morte naturali; sed civili: *Mejer. C. A. in ff. h. t. n. 14. in fin.* pœnam dicit esse deportationem sive exilium: *Dn. Carpzov. fustigationem, d. q. 93. n. 28. & 29.* Contrà post Veteres quosdam *Ant. Matth. in ff. d. tit. 7. c. 2. §. 1. A. Corvin. in C. h. t. p. 756.* ad mortem naturalem sc. extendunt, quòd hoc crimen graviùs sit, & *Paulus l. 1. sent. tit. 25.* aliquoties capitis pœnam deportationi opponat, sicut & *Constantinus in l. 22. C. h. t.* quibus assentiri videtur quoque *Ludvv. in §. 7. Inst. de publ. Judic.* Quæ sententia posterior, si alter-

si alterutra est eligenda, de jure verior videtur, etiam si moribus aliud obtineat.

LXVI. Verum cum & hinc circumstantia crimen variare & aggravare possint, ita ut etiam mors naturalis infligi possit, quod non negare videtur Perez, cit. loc. Paulum allegans scribentem: Obstetricem partum alienum afferentem summo supplicio affici. Hinc non displicet Pichardus, non semper mortis poenam pro supposito partu esse existimans; sed judici arbitriam, qui ex qualitate delinquentis statuatur, an mors naturalis, an vero civilis imponenda sit, in l. 7. Inst. de publ. jud. ubi & alios allegat.

LXVII. Mutato (8.) nomine in detrimentum alterius, falsi poena locum habet, l. 13. ff. h. t. arbitraria sc. relegationis, fustigationis &c. Dn. Carpzov. d. q. 93. n. 38. Et si quis alterius ordinis insignia usurpaverit, aut militiam confinxerit terrendi, concutientive causa, capite puniri potest, l. 27. §. ult. ff. h. t. A. Matth. d. tit. 7. c. 2. §. 1. Sic & ob fictionem falsae personae, si grave damnum sequatur, ultimum supplicium inferri posse, notat Zoes. cum exemplo subjuncto ad ff. h. t. n. 10.

LXVIII. Cessat falsi accusatio & poena praeter modos supra §. 12. & seqq. enumeratos, si transactio de crimine falsi fuerit facta l. 7. C. h. t. l. 18. l. 42. C. de transact. Si reus falso instrumento, quod alius fecit, non sit usus l. 8. C. h. t. Si crimen indulgentiam Principis fuerit sopitum l. 9. C. eod. Si quis ab alio deceptus falso rescripto usus fuerit, sed autorem exhibuerit l. 4. C. eod. Si viginti anni a tempore falsi commissi fuerint elapsi l. 12. C. eod. Quomodo cesset vel remittatur Poena Scri Libon. (ne sim justo prolixior) vid. Perez & Arn. Corvin. in C. de his qui sibi adscrib. & falsae monetae, jid. ad tit. C. de fals. mon.

Excultior prodiret haec tractatio, nisi abitus otio me privaret & festinantem esse juberet.

Tantum.

COR-

COROLLARIA.

1. *An Dominus territorii Catholicae religioni addictus, Vasallorum seu Landsassiorum subditos Lutheranæ religioni hædenus consecratos ad usum baptismatis vel cœnæ dominicæ, prout sacramenta hæc à Pontificiis administrantur, cogere possit? Neg. vi instrumenti Pac. Osnabr. Art. 5. §. 12.*

2. *An ejusmodi subditis Lutheranis eo in loco, ubi suæ religionis exercitio publico destituuntur, commorantibus, alium in locum, ut ibi sacris & sacramentis suæ religionis utantur, liberè proficisci jus sit? Aff. cit. loc.*

3. *An prædictis subditis in necessitatis casu constitutis, v. c. valetudine impeditis, vel præsentis vitæ discrimine iter ingressuris, aut extremâ difficultate laborantibus è viciniâ Pastorem quendam Lutheranum accersere liceat, cujus ministerio in conferendo baptismo utantur, idq; indulgentiâ citati Instrumenti pacis? Aff.*

4. *Quid si antè defnitorum subditorum quispiam privatus ex simplicitate & studio suam profitendi religionem, conscientiâ item permotus è viciniâ arcessitum ministrum Lutheranum in adibus suis privatis adhibuerit ad conferendum baptismum, an propterea reus turbati statûs judicari possit? Neg.*

Soli Deo Gloria.

CRimine *de Falsi facundo* differis ore,
FRITSCHI, Juridicæ, corclum & ocelle Deæ!
En Dea pro studiis non *falsos* præstat honores,
Majores eadem conferat inde precor.

GEORGIUS TOBIAS Schwendendorffer D.
Facult. Jurid. Ordinarius.

Sic specimen specitur, certamen cernitur artis,
In causis æquum quæ docet atque bonum,
FRITSCHI, flos Themidos, decerpas inde laborum
Exantlatorum præmia mille, precor.

Hieronymus Kromayer, S. S. Th. D.
& Prof. P. in Acad. Lipsiensi.

Fulco perunctæ mentis & scientiæ
Ignare Fritschi, falsa quæ forum impetant,
Exponis accuratiùs cunctis, nigras
Queis larva mentes velat, aut qui dediti
Nimis Vacunæ falsa verorum loco
Aliena pro suis dolosè venditant.
Tu, quam probasti Lipsiæ quàm plurimis
Speciminibus sinceritatem & ingenium
Limatioris dona, dulci, quam petis,
Feliciter nunc in probatum patriæ.

Amadeus Eckolt / Dr. Prof. Publ.
& Facultat. Jurid. Adfess.

Degeneris animi morbus est uti &rophis,
Simulare vultu, mente quod non sis tamen.
Qui recta fatur callido procul dolo,
Circumvenire simplices qui non amat,
Probum & tenacem dicimus juris virum.
Tu noster hoc Fritschi doces simul & facis
Themidisque Probitatisque Alumne nobilis.
Utrumque multi sunt videri qui volunt,
Quos esse neutrum constat, aut vix alterum:
Te dicimus doctum, probum te quoque virum.

f

Præses.

F I N I S.

00 A 6330




ULB Halle 3
002 841 843




10 17

Reho ✓







DISPUTATIO JURIDICA,
De
FALSO,
Quam
Assistente DEO,
Permissu & Autoritate Magnifici
Jctorum Ordinis,
IN ILLUSTRACADEMIA LIPSIENSI,
SUB PRÆSIDIO
Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi & Excellentissimi
DN. BARTHOLOMÆI
LEONHARDI SCHVENDENDORFFERI,
J. U. D. & Prof. Publ.
Fautoris & Promotoris sui ætatem
colendi,
Publicæ Eruditorum disquisitioni
exponit
M. JO. CHRISTOPHORUS *Fritsch* /
Ebleb. Thur.
Ad diem XVIII. Julii,
M DC LXI.
H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Typis JOHANNIS VVITTIGAU.

28 40.

34